

21. SALISBURGEN.

*Amotionis et incardinationis; diffamationis; iurium oeconomicorum; damnorum
Incidentalibus: Recursus aduersus decretum reiectionis ex parte Congressus
(Rev.dus X. – Congregatio pro Institutis vitae consecratae
et Societatibus vitae apostolicae)
(30 novembris 2002)*

ITER CAUSAE. - 1. Rev.dus X., die 20 maii 1955 in dioecesi Tarnoviensi natus, die 8 septembris 1981 vota perpetua sollemnia emisit in provincia Cracoviensi O.C.D. et die 15 iunii 1982 Cracoviae presbyter ordinatus est. Anno 1986 licentiam in Sacra Scriptura obtinuit apud Pontificium Institutum Biblicum in Urbe.

Ipse ab anno 1988 degebat in domo O.C.D. in Austria ibique ministerium pastorale exercebat. Die autem 7 iunii 1994 exclaustatio ad annum concessa est eidem sacerdoti, cui de consensu Superiorum quaedam munera pastoralia in archidioecesi Salisburgensi committebantur. Exclaustatio dein prorogata est usque ad diem 30 augusti 1997. Antea vero Superior provincialis Cracoviensis ab Exc.mo Archiepiscopo Salisburgensi petierat num ipse paratus esset ad Rev.dum X. forte in illa archidioecesi incardinandum.

Sua ex parte, Congregatio pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae die 1 decembris 1998 Exc.mo Ordinario Salisburgensi commisit "ut, pro suo arbitrio et conscientia, Oratori concedat indultum exclaustationis, durante experimenti tempore, deposita exteriori forma habitus religiosi et servatis ceteris servandis ad normam can. 687 Codicis Iuris Canonici. Si forte, perdurante experimento, ab eodem Ordinario, praemonitis Superioribus, recusetur, statim ad claustra redire teneatur. Transacto vero praefato experimenti tempore, vel etiam prius, si definitive recipiatur, Orator ... maneat saecularizatus ideoque solutus a votis in Instituto emissis, ac ipso facto incardinatus in dioecesi Salisburgensi ...".

Rev.dus X., obtenta die 30 iunii 1999 civitate austriaca, die 19 iulii 1999 formaliter petiit incardinationem in archidioecesi et hanc petitionem die 15 decembris eiusdem anni oretenus renovavit coram Exc.mo Archiepiscopo, qui ei pro anno sequenti paroeciam promississe dicitur, nulla autem mentione facta de incardinatione.

Die 20 decembris 1999 idem sacerdos insuper apud directorem officii nummarii archidioecesis instituit ut sibi a die 1 ianuarii 2000 solveretur supplementum menstruum pro gubernatione domus et supplementum pro usu autoraedae atque petiit ut exceptionaliter primum supplementum pro annis 1998-1999 et alterum a die 15 septembri 1998 concederentur.

Interim vero conviventia Rev.di X. cum Sororibus domui addictis, ubi ipse ministerium exercebat, sat difficilis evasit, adeo ut Rev.mus Vicarius generalis, de mandato Exc.mi Archiepiscopi, Rev.do X. litteris diei 19 ianuarii 2000 notificaret eius immediatam amotionem ab officio et a servitio pastoralis in archidioecesi Salisburgensi "ex gravissimis causis" manentibus vero remuneratione usque ad finem mensis Martii licentiaque commorandi in illa domo usque ad diem 15 februarii 2000.

Cuius decisionis revocationem Rev.dus X. die 23 ianuarii 2000 ab Exc.mo Archiepiscopo petiit, instans quoque epistola diei 30 ianuarii 2000 ut sibi bona fama restitueretur, sed Exc.mus Archiepiscopus illam remonstrationem litteris diei 31 ianuarii 2000 reiecit.

Non deferbuit autem Rev.dus X., qui die 5 martii 2000 recursum hierarchicum insti-

tuit coram Congregatione pro Clericis, quae rem competentiae causa ad Congregationem pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae transmisit.

Quo in recursu haec praesertim petebantur: a) revocatio decisionis impugnatae; b) restitutio bonae famae; e) quam primum incardinatio in archidioecesi Salisburgensi; d) remuneratio a die 1 Aprilis 2000 cum supplementis, si fieri posset etiam retroactivis, pro gubernatione domus et usu autoraedae.

Congregatio pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae die 18 aprilis 2000, praesertim relate ad illas "gravissimas causas", opportunas ad rem ab Exc.mo Archiepiscopo exquisivit notitias, atque, iis receptis, die 5 iunii 2000 eum invitavit ut declararetur illas "gravissimas causas" non afficere Rev.di X. bonam famam vel integritatem moralem. Qua re Ordinariatus Salisburgensis die 14 iunii 2000 supplementum ad decretum diei 19 ianuarii eiusdem anni edidit.

Congregatio tandem litteris diei 7 iulii 2000 recursum reiecit, quam adversus decisionem Rev.dus X. die 5 augusti 2000 ad H. S. T. provocavit, quod ei gratuitum patrocinium concessit et Patronam ex officio pro eo constituit. Sua ex parte Congregatio pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae per suum Patronum intervenit. Archidioecesis vero Salisburgensis, ab H. S. T. interpellata, proprio defensori renuntiavit.

Interim Rev.mus Superior provincialis Cracoviensis O.C.D. Rev.dum X. "vi voti oboedientiae" iussit ad conventum Cracoviensem redire. Cum ipse autem oboedire recusaverit, instituta est procedura dimissionis, quae tandem die 15 iunii 2001 a competenti Congregatione confirmata est et a Rev.do X. non impugnata.

2. Factis causae per summa capita expositis, animadvertendum manet Rev.dum X. in itinere causae pluries intervenisse, exhibens novas instantias, longas scripturas defensionis et iteratas assertiones sui iuris ad incardinationem in archidioecesi Salisburgensi obtinendam.

3. Causa rite pertractata, H. S. T. in Congressu diei 28 februarii 2002 recursum ad disceptationem non admisit, quam adversus decisionem Rev.dus Recurrens ad Nostrum Collegium provocavit.

Expositis a Cl.ma eius Patrona rationibus huius ulterioris recursus et obtento voto pro rei veritate a Rev.mo Promotore Iustitiae exarato, nunc Nobis videndum est an decretum in Congressu diei 28 Februarii 2002 latum reformandum sit.

IN IURE ET IN FACTO. - 4. Examinanda in primis venit altera impugnati decreti pars dispositiva, scilicet: "Ad quaestionem vero "diffamationis" quod attinet, placere ut Exc.mus Archiepiscopus Salisburgensis notificare curet supplementum diei 14 iunii 2000 iis omnibus cum quibus decretum diei 19 ianuarii 2000 communicatum sit, utque idem Exc.mus Praesul H. S. T. intra mensem documenta de peracta notificatione exhibeat, adeo ut ulterior controversia de re praecaveri possit".

Exc.mus Archiepiscopus id statim executioni mandavit. Intra terminum statutum enim notificatum est exemplar decreti diei 14 Iunii 2000 iis quibus illud supplementum antea facto transmissum non erat, scilicet Rev.dis Parochis locorum v.d. "Schwarzach, Veit et St. Johann" necnon officiis pro remuneratione et pro paroeciis in ipsa Curia Salisburgensi. Ita ad cautelam satisfactum est animadversioni Cl.mae Rev.di Recurrentis Patronae, quae ante Congressum diei 28 februarii 2002 institerat bonam famam Rev.di X. non sufficienter reparatam fuisse,

quia "litterae diei 14 iunii 2000 solummodo Congregationi pro IVC et SVA et provinciae Cracoviensi OCD communicatae fuerunt, ideo non omnibus dicasteriis Curiae Salisburgensis, parochis, etc., quibus decretum diei 19 ianuarii 2000 notificatum fuit".

Non amplius habetur proinde hac de re materia contentionis.

Rev.dus Recurrens, ceterum, alia argumenta non proposuit relate ad assertam diffamationem ortam ex decreto diei 19 ianuarii 2000.

5. Altera vero pars dispositiva impugnati decreti in Congressu diei 28 februarii 2002 lati statuit: "Recursum non esse admittendum et facto non admitti ad disceptationem coram Em.mis et Exc.mis H.S.T. Iudicibus ad quaestiones "amotionis et incardinationis", "iurium oeconomicorum" necnon "damnorum" quod attinet, ob manifestum defectum cuiusvis fundamenti vel praesuppositi".

Etiam hac in re animadvertimus non exhiberi nova elementa vel considerationes "in iure", quibus argumenta in impugnato decreto proposita evertantur vel infirmentur. Videamus quidem singulas quaestiones.

6. *Relate ad quaestionem "amotionis et incardinationis".*

Ex actis patet Rev.dum X. nullum sibi ius vindicare posse ad incardinationem in archidioecesi Salisburgensi. Etenim:

a. Cum tempus experimenti in ordine ad incardinationem obtinendam inceperit cum concessione indulti ex parte Congregationis pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae, id est tantum a die 1 Decembris 1998, a Rev.do Recurrente invocari nequit in casu praescriptum can. 693 de incardinatione ipso iure transacto quinquennio, "nisi Episcopus recusaverit".

Exc.mus Archiepiscopus praeterea, ante illud quinquennium elapsum, cum Rev.do X. suam decisionem experimento finem imponendi clare communicavit; id vero ad normam iuris canonici legitime facere poterat, et quidem iuxta praefatum indultum "pro suo arbitrio et conscientia".

b. Ex collatione muneris pastoralis in archidioecesi – vel ex obtenta civitate austriaca – nullimode Rev.di Recurrentis ius ad incardinationem oriebatur neque restringebatur potestas Exc.mi Archiepiscopi ut finem imponeret illi muneri *ad nutum* collato.

Etiamsi – uti contendit Rev.dus X. – Exc.mus Archiepiscopus ei formaliter paroeciam promisisset, ipse exinde haudquaquam ullum ius acquisivisset, nam huiusmodi promissio nullum parit iuridicum effectum (cf. can. 152 § 3).

c. Cl.ma Rev.di Recurrentis Patrona, tandem, argumenta contraria cogentia non exhibet, quae in dubium vocant ea quae Rev.mus Promotor Iustitiae in voto pro rei veritate diei 31 Octobris 2001 dare exposuit.

Concludendum igitur est recursum ad quaestionem amotionis et incardinationis quod attinet fundamento carere in re et in facto.

7. *Relate ad quaestionem "iurium oeconomicorum".*

Rev.dus X. in recursu hierarchico ad Sanctam Sedem petiit remunerationem a die 1 aprilis 2000 (seu post amotionem), cum supplementis pro gubernatione domus et usu autoraedae, quae supplementa – si fieri posset – etiam retroacti-

va essent, cum ipse a duobus annis pro illis rebus curam ageret. In recursu vero ad H. S. T. Rev.dus Recurrens vindicavit illa supplementa oeconomica iam a die 1 octobris 1994.

Ipse in longis scripturis defensionis diversa motiva adducit ad suffragandam petitionem suam, provocans speciatim ad normas in re pro clero dioecesano Salisburgensi vigentes necnon ad magnum debitum apud mensam argentariam contractum, quod ipse amplius solvere nequit, ita ut verum periculum causae civilis ex parte illius mensae argentariae adversus Rev.dum X. habeatur.

Ad rem vero haec animadvertenda sunt:

- Uti ex supra dictis iam patet, quovis fundamento prorsus caret petita remuneratio post amotionem a munere in archidioecesi Salisburgensi.

- Congregatio in decreto quo recursum hierarchicum reiecit, de illis supplementis non egit. Ad rem, ceterum, neque habebatur praevia decisio ipsius Exc.mi Ordinarii Salisburgensis.

Deficit proinde praesuppositum ut H. S. T. de hac quaestione videre possit.

- Vi caret tandem provocatio ad normas vigentes pro clero dioecesano Salisburgensi, quia Rev.dus X. ad normam iuris numquam ad eum pertinuit.

Impugnatum decretum in Congressu diei 28 Februarii 2002 latum quaestionem igitur recte consideravit et non exhibentur argumenta nova ad diversam decisionem capiendam.

8. *Relate ad quaestionem "damnorum"*.

Cl.ma Rev.di Recurrentis Patrona, sicut et ipse Rev.dus X., petit reparationem damnorum quae illata essent ex decisione Exc.mi Archiepiscopi eum amovendi ab officio et ei denegandi incardinationem in archidioecesi Salisburgensi. Quae reparatio damnorum eo sensu ab ipso Recurrente postulatur, "ut nempe statim ad eius incardinationem in archidioecesi Salisburgensi perveniatur, eiusque bona fama recuperetur et salarium iuxta eius petitionem solvetur".

Unica ratio a Cl.ma Patrona adducta eius condicionem hodiernam respicit: "Cum casus Rev. X. re vera miserabilis exstet, praesertim cum ipse, dimissus ab Ordine ... et, ob malam famam ab Archidioecesi Salisburgensi diffusam, nullum alium adhuc invenerit Episcopum benevolam".

Sed haec ratio in casu non tenet. Rev.dus enim X. ab Ordine suo dimissus est ob suam recusationem oboediendi Superioribus, qui ei vi voti oboedientiae reditum ad conventum Cracoviensem imponebant, dum petita incardinatio in dioecesibus Gurcensi et Ratisbonensi ei haud illegitime denegata est, quia Exc.mi Episcopi illarum dioecesium ius et obligationem habebant petendi notitias ab archidioecesi Salisburgensi atque libere in conscientia decisionem ferre poterant utrum eum acciperent, necne.

Oeconomica Rev.di X. condicio utique valde difficilis est, sed ipse eam sibi-metipsi imputare debet, nam grave debitum personale contraxit cum adhuc esset religiosus exclaustratus, ad conventum redire recusavit et decretum dimissionis haud impugnavit, quamvis nondum haberetur decisio quoad recursum apud H. S. T. propositum. Ipse Rev.dus X. ita semetipsum posuit in condicione, de qua in

can. 701: "Legitima dimissione ipso facto cessant vota necnon onera et obligationes ex professione promanantia. Si tamen sodalis sit clericus, sacros ordines exercere nequit, donec Episcopum inveniatur qui eum post congruam probationem in dioecesi, ad normam can. 693, recipiat vel saltem exercitium sacrorum ordinum permittat".

Tenet itaque impugnatum Congressus Decretum omnino recte quod "ei-smodi ... petito reparationis damnorum ... omnino non sustinetur".

CONCLUSIO. - 9. *Quibus omnibus perpensis, infrascripti Patres pro Tribunali sedentes, Christi Nomine invocato et solum Deum prae oculis habentes, proposito dubio respondententes, decreverunt:*

Negative seu reformandum non esse Decretum in Congressu H. S. T. diei 28 mensis februaryi anni 2002 latum, quo recursus non admittitur ad disceptionem utpote manifeste fundamento carens.

Quod decretum iusserunt notificari omnibus quibus de iure, ad omnes iuris effectus.

Datum ex Aedibus Vaticanis, die 30 mensis Novembris anni 2002.

MARIUS FRANCISCUS Card. POMPEDDA, *Praefectus*

D. SIMON Card. LOURDUSAMY; IOANNES PETRUS Card. SCHOTTE, *Ponens*

AUGUSTINUS Card. CACCIAVILLAN; SERGIUS Card. SEBASTIANI

+ IOSEPHUS MERCIECA; + IULIANUS HERRANZ

+ PHILIPPUS GIANNINI; + AEMILIUS EID; + EDUARDUS DAVINO

+ FRANCISCUS COCCOPALMERIO; + THOMAS GEORGIUS DORAN

+ XAVERIUS ECHEVARRÍA RODRÍGUEZ